

DISPUTATIO LOGICA,  
*De*  
SUBJECTO ET  
ADJUNCTO,

*Quam*  
DEO AUXILIANTE,  
*SUB PRÆSIDIO*  
CLARISSIMI AC DOCTISSIMI  
VIRI, DN. M. HENRICI DAUBERI, PHILO-  
sophiæ in illustri Scholâ Nassovicâ-Sigenensi Profes-  
soris ordinarii, ingenii acuendi causâ studiosis  
Philosophiæ publicè examinan-  
dam proponit

*Jodocus Beumgenius, Manderbacensis Nassovicus.*



HERBORNÆ NASSOVIORUM  
Ex officina typographica Christophori Corvini.

MDCCVIII.

AMPLISSIMIS, CLA-  
RISSIMIS ET DOCTIS-  
SIMIS VIRIS,

DN. WILHELMO MANGERO, Illustribus ac Generosissi-  
mis Comitibus à Nassaw Catzenelnbogen à secretis,  
DN. JACOBO REIFFENBERGE, } verbi divini apud Heige-  
RO, } ranos ministris vigi-  
DN. TILMANNO HECKERO, } lantissimis,  
DN. DANIELL MÜLLERO, } causarum patrono Herborna  
solertissimo,

*Dominis & Mœcenatibus suis omni observantia  
genere prosequendis:*

VT-ET

NOBILISSIMO SUMMÆQUE SPEI  
adolescenti,

DN. WILHELMO FELICI KAPLIRZ à Sfulcicz, Do-  
mino summè observando;

NEC-NON

PIETATE, MORIBUS ET DOCTRINA  
cultissimis juvenibus-viris,

DN. THOMÆ DUBINO Mezticensi Moravo, nonnullorum  
nobilium Bohemorum Ephoro fidelissimo,

DN. MATTHIÆ SCHEFFERO Flamersbacensi, amico ac  
contubernali suavissimo,

DN. HENERICO GEYSE Sigenensi, amico ac commilitoni  
exoptatissimo,

*SS. Theologia Studiostr,*

*Has studiorum suorum primitias debitæ  
gratitudinis, observantiæ, honoris &  
amoris ergò inscribit & dedicat*

RESPONDENS.

THESES I.



Uemadmodum absoluta consensus tota est in rei productione & perfectione: sic consensus, quæ dicitur modo quodam, est in inhesionem, adhesionem & occupationem: cuius consensus argumenta dicuntur subjectum & adjunctum.

II.

Subjectum est, cui aliquid adjungitur: hoc est, præter essentiam causis suis constitutam accedit, suo adjuncto perpetuo correlatum. Si enim à subjecto remouentur adjuncta, siue id fiat reipsâ, siue cogitatione: Jam non amplius subjectum, sed essentia dicitur. Huic verò si quid præter essentiam amplius accesserit, jam non essentia, sed subjectum dicitur.

III.

Subjectum Græcis dicitur *ὑποκειμένον*, & plerumque accipitur pro antecedente parte axiomatis, ut albedo est color. Nos autem hîc intelligimus terminum simplicem, cui aliquid adjungitur. Ciceroni dicitur materia in qua & circa quam.

IV.

Magna etiam hîc cognatio est inter Logicam & Grammaticam. Subjectum enim per nomen substantivum, adjunctum verò per adjectivum exprimitur, ut, arbor procerâ; ubi *arbor* subjecti, *procerâ* adjuncti vicem sustinet.

V.

Subjectum dividitur in Recipiens & Occupans.

VI.

Recipiens est, quod adjunctum recipit: Estque vel *πρῶτον*: & dicitur *πρῶτον δεκτικόν*: vel est *δεύτερον*: ut superficies est *ὑποκειμένον πρῶτον δεκτικόν* coloris. Corpus verò est *δεύτερον δεκτικόν* scientiæ, anima verò est *πρῶτον*, quia per animam scientia homini inhaeret.

VII.

Porrò hoc *δεκτικόν* recipit vel in se, vel ad se. Illud *ἢ ἐξ ἑαυτοῦ* dicitur

ἄκτιον, & solet appellari subjectum denominationis, item subjectum informationis & inhærentiæ. Sic scientia inest animæ, morbus & bona valetudo corpori. Hinc axioma: Negato subjecto, negantur omnia subiecti hujus accidentia: ut, Purgatorium non est: Ergo neque est calidum, neque frigidum.

VIII.

Subjectum recipiens ad se dicitur, cujus adjunctum est externum five adhærens, quale est possidens vel circumdatum: Sic pertinet gratia Jehovæ ad pios, vindicta ad impios.

IX.

Subjectum recipiens in se, etiam κατὰ γένος; materia in quâ, item species & species subiecta dicitur: ut cum dicitur, Adjunctum proprium reciprocatur cum specie. itē cum specie subiectâ ponitur & destruitur vicissim: Materia autem propriè ad materiatum refertur, & species ad genus. Materia interim ut subjectum considerari potest: ut, materia est subjectum recipiens in se formam.

X.

Estque aliud immediatum, aliud mediatum.

XI.

Immediatum est, cui primò & immediatè adjunctum inest. Sic facultas ridendi inest homini primò. Homo enim est primum subjectum facultatis ridendi, nullo alio subjecto mediante.

XII.

Mediatum est, cui adjunctum inest per aliud: ut, homo est subjectum sensus per animal, quia sensus animali priùs inest, & quidem primò: homini verò inest per animal.

XIII.

Hic observetur canon vulgaris, Philosophis usitatus: Omne secundarium præsupponit primum.

XIV.

Fuit subjectum recipiens; Occupans est, circa quod adjunctum occupatur, aliàs dicitur subiecta materia, item materia circa quam. Vulgò Objectum & à Scholasticis aliquando Terminus dicitur: ut cum dicunt: Fidem justificare respectu termini, non fundamenti; id est, respectu objecti, in quod intuetur, quod est Christus crucifixus.

XV. Estq;

XV.

Estque objectum aliud per se, aliud per accidens. Illud est, circa quod adjunctum per se & suam naturam est occupatum: ut voluntatis objectum est bonum: Intellectus objectum est verum.

XVI.

Estque vel commune, vel proprium.

XVII.

Commune est, circa quod multa simul versantur & occupantur: ita commune complurium sensuum objectum est magnitudo, motus, quies, numerus. Hæc enim à compluribus sensibus in communi apprehenduntur & judicantur.

XVIII.

Proprium est, quod uni est determinatum: Sic objectum proprium visus est color, auditus sonus, gustus sapor.

XIX.

Fuit objectum occupans per se: Per accidens est, circa quod adjunctum per accidens versatur. Sensibile per accidens Aristoteli dicitur, quod non per se movet sensum, sed eam ratione tantum sentiri dicitur, quam est conjunctum cum eo, quod per se cadit sub sensum.

XX.

Versari autem per accidens circa aliquid dicitur duplici modo. 1. ex parte objecti: 2. ex parte adjuncti. Ex parte adjuncti fit, quando aliquid versatur circa aliquid, non quam tale, sed quam defectu vel vitio aliquo infectum. Sic voluntas fertur ad malum, non quam voluntas, sed quam inordinata, quemadmodum intellectus ad falsum, non quam intellectus, sed quam errans.

XXI.

Ex parte objecti dicitur aliquid versari circa aliquid per accidens, quando objectum non absolute consideratur, sed ab accidente aliquo, quod ad operationem non pertinet, nominatur. Sic Aristoteles ait 2. de anim. tex. 65. Objectum visus esse Cleontis filium, quia videbatur, non quam Cleontis filius, sed quam coloratus.

XXII.

Scholastici Doctores etiam distinguunt inter subjectum externum & internum. Internum vocant, quod adjuncto intrinsecus obicitur seu proponitur. Externum, quod extrinsecus; verbi gratia: Arith-

meticæ subjectum seu objectum internum est numerus. Externum vero res numerabilis. Dialecticæ subjectum internum est ratio differendi, externum est quodlibet ens.

XXIII.

Est etiam apud Philosophos subjectum, quod dicitur attributionis seu prædicationis, quando adjunctum subjecto non inhæret, neque adhæret, sed ita tribuitur, ut cum subjecto fiat unum *συνωρίμιος*. Exempli gratiâ: In oppositis est regula, quod non possint esse in uno subjecto attributionis, ut: Dialectica nunquam potest esse Grammatica, at interim possunt esse in eodem subjecto inhætionis, videlicet in mente meâ.

XXIV.

Fit quoque mentio cuiusdam subjecti, quod adæquatum vocant, quod sese diffundit per totam disciplinam: unde & à Barbaris Totale dicitur, aliâs subjectum genus: ut in Physicâ subjectum adæquatum est corpus naturale seu natura. In Metaphysicâ *πάν τὸν τὸν*.

XXV.

Fuit subjectum: sequitur adjunctum, quod doctrinæ subjectorum respondet, eique analogum & reciprocum est: Ut ergo subjectum definitur, cui aliquid adjungitur: ita adjunctum ex eadem relatione definiendum est, cui aliquid subicitur.

XXVI.

Ex hac definitione apparet, adjunctum sine subjecto nullam posse habere existentiam; quod maximè intelligendum est de rebus, quæ in accidentibus numerantur. Aliâs enim ipsæ sæpè substantiæ ad locum adjunctorum referuntur. Exempli gratiâ: Canis per se quidem substantia est, sed quatenus alteri subjecto adjungitur, putâ domino suo, adjunctum ejus est.

XXVII.

A Petro Ramo dicitur, adjunctum suo subjecto levius & imbecillius arguere. Idque idèd, quia sæpè multa adjuncta requiruntur ad unum subjectum probandum, ut: Mævius occisus est. Titus autem illi eadem minatus est. Titi gladius fuit in loco necis repertus, testes fide digni Titum eadem facere viderunt. Titus ipse eadem confessus est. Ergo Titus eadem fecit.

XXVIII.

Quamvis autem adjunctum levius sit suo subjecto, est tamen copiosius, tum quia plura adjuncta uni subjecto inesse possunt, tum quia in usu differendi frequentius occurrit.

XXIX.

**XXIX.**

Cum verò tempus sit commune rerum adjunctum, rectè illud à P. Ramo in Logicâ generaliter explicatur.

**XXX.**

Ab aliis adjunctum dicitur adjacens, Græcè *προσκειμενον*, item *συνεχης* & *συμβεβηκός*, conjunctum & accidens: quamvis accidens latius pateat quàm adjunctum, siquidem subjectum saepe accidens est, ut & effectum.

**XXXI.**

Ac ut subjectum suprâ fuit distinctum in recipiens & occupans: ita & adjunctum aliud est receptum, aliud occupatum. Receptum est, quod à subjecto recipitur.

**XXXII.**

Receptum, aliud est inhærens: quod respicit subjectum recipiens in se: aliud adhærens, quod respicit subjectum recipiens ad se.

**XXXIII.**

Inhærens, aliàs vocatur internum: quod in subjecto verè inest, ut labes nativa in homine: Adhærens vocatur externum, quod subjecto adhæret seu extrinsecus accedit.

**XXXIV.**

Adjunctum autem adhærens conjunctum est subjecto aut contactu, aut relativè: sic justitia Christi imputata adhæret credenti, sed relativè.

**XXXV.**

Estq; vel coëxistens, vel concomitans: Illud est, quod simul cum subjecto existit: Et est vel connexum, vel circumstans.

**XXXVI.**

Connexum est, quod cum re simul fit & accidit: ut extraordinaria Solis obscuratio, & ruptura veli in templo, facta est cum passione Christi.

**XXXVII.**

Circumstans est, quod circa rem est, eiq; adjacet: ut Tempus, arma, vestes, coronæ, circumstant hominem.

**XXXVIII.**

Fuit coëxistens: Concomitans est, quod subjectum quasi concomitatur: Estq; vel antecedens vel consequens.

XXXIX.

Antecedens est, quod rem aliquam ordine temporis antecedit, sic ut non sit ejus causa: Sic Baptismus aliquando præcedit regenerationem. Consequens est, quod consequitur ita ut non sit ejus effectus: Sic Baptismus aliquando regenerationem sequitur.

XL.

Adjunctum porrò est vel per se, vel per accidens. Hujus distinctionis usus apparet in hoc Canone: Adjuncta quæ alicui per se insunt, aliis tribui non possunt.

XLI.

Adjunctum per se est, cujus nexus cum subjecto ita necessarius est, ut soli & omni semper conveniat. Ejusmodi est adjunctum: Essentiale, quod rei essentiam concomitatur: seu cum rei essentiâ connexum est, Gocl. instit. Log. lib. I. c. 8.

XLII.

Adjunctum per accidens est, cujus nexus cum subjecto accidentarius est, cum illarum conditionum una saltem deest.

XLIII.

Estq; commune vel proprium.

XLIV.

Commune à P. Ramo communis circumstantia dicitur, & est quod multis subjectis simul competit; Quò etiam pertinet accidens prædicabile.

XLV.

Hoc autem commune adjunctum est vel χωριστὸν, separabile: quod re ipsa separari potest à subjecto: ut timiditas ab homine: vel ἀχωριστὸν, inseparabile: quod re ipsa à subjecto tolli non potest, si naturalem cursum spectes: ut, nigredo à corvo, albedo à cygno: Quamvis omnia adjuncta ἐπινοία separabilia sunt.

XLVI.

Proprium adjunctum est, quod uni & soli subjecto competit, nec unquã subjecti essentiam egreditur; cumq; ita ἀμείσως in forma manet, dicitur ἰδιὸν ἀπὸ πάντων, quod subjecto est καθόλου κτῶτων, id est, universali subjecto primò inest, non δὲ ἄλλοις. Dicitur aliàs interna & essentialis proprietas, item ens in secundo momento; quia essentiæ constitutionem immediatè & veluti in secundo momento sequitur, Unde etiam  
Gracis



Græcis rectius ἐπεσιῶδες quàm ἐσιῶδες dicitur, utpote quod ad essentia  
constitutionem quidem nihil confert, sed eam consequitur vel potius  
comitatur: ut, facultas loquendi in homine, latrandi in cane, ululandi  
in lupo. Cave autem hoc in loco effecta cum facultate confundas; cum  
aliud sit loqui, aliud posse loqui.

XLVII.

Ad locum adjunctorum plerunq; referuntur signa. Est autem si-  
gnum ens sensibile cognoscenti signatum significans. Signorum alia sunt  
necessaria, & dicuntur *τεκμηρια*: alia probabilia, & dicuntur *εικόνα*: ut,  
*Consciens est sceleris, qui conticet atq; rubescit.*

XLVIII.

Dicimus *plerunq;*, quia signa non sunt unius loci argumenta: mo-  
dò enim sunt causæ: ut cor vulneratum est signum instantis mortis;  
modò effecta, ut lux diurna est signum ortus Solis.

XLIX.

Sic fuit adjunctum receptum. Occupatum est quod circa aliquod  
objectum occupatur. Sic visus circa colorem, auditus circa sonum oc-  
cupantur. Pii in lege Dei, Psal. i. Invidi in lædendâ alterius famâ: sensus  
in recipiendis sensibilibus occupantur. Hic notetur axioma: Cui tri-  
buitur vel adimitur res circa objectum proprium & adæquatum occu-  
pata, & ipsum subjectum tribuitur vel adimitur: ut, Christus à piis ado-  
ratur, Ergo est Deus. In Spiritum sanctum tenemur credere; Ergo Spi-  
ritus sanctus est Deus.

L.

Atque hæc sunt ea quæ de subjecto & adjuncto proponere volui-  
mus: licet plura de eo dici & quæri potuissent. Det Deus Opt. Max. ut ea  
ad divini ipsius nominis gloriam, & multorum utilitatem vergant.




ERUDITIONE ET PIETATE PRÆSTANTI  
 JUVENI, JODOCO BEUMGENIO, PHILOSO-  
 phiæ studioſo, contubernali ac amico ſuo ut fa-  
 miliatiffimo ita cariffimo.

Ἄσκησις σοφίης μερόπων μέγα δὲν ὄνειρα,  
 Καὶ τὸδε συζητεῖν ἀμφιλόφειαν ἔχει.  
 Ἄνθρωποι νόθ', πρωτοπλάστοι γονῆθ'  
 Πτώμαθ' ἐφάρθη τῷ δια ψυχροθύρι.  
 Φρεσὶν ἀφώπταις διδάχῃ δέγε φέγγθ' ὀπάξει,  
 Ἐἰς ἐκζωπυρεῖν ἐδοθεὶ δ' οὐτῶν.  
 Πυκνὰ δ' τῆς λογικῆς πέλεται σπεδάσματα δεινὰ,  
 Ἔργα σοφίζομένων ἀργὰ ἐλεγχόμενα.  
 Οὐδὲν ἄπερ λογικῆς δυνάμεσθα λέγειτε γράφειτε,  
 Ἐμμεθόδως ἀγίῳ ὀρθοποιεῖν τε γραφίῳ.  
 Ταῦτῳ ἐν ἀκριβῶς μαθῆεν σὺ φιλαίτα! ἴσσε,  
 Οὐδεὶς πρῶτον βέλτερός ἐστι πόνθ'.  
 Ὡς χ' ῥά μθ' ἔλω λογικῶν ἀντάξθ' ἄθῃαν,  
 Τοῖθ' ἔση δένδρον τένομα καλὸν ἔχων.  
 Καρποφόρθ' ῥά μθ' ἀλλήποτεν ἀπαντα λυκεία,  
 Τά τε μιμητῆς δένδριον ἰδοὶ αἰεὶ.  
 Δένδριον εἰς χ' δένδρον ἔση ξυῶ παμμεδέοντι,  
 Ὅς μόνθ' ἀλογέει τὸν κόπον ἡμέτερον.

L. M. Q. appofuit

Matthias Schefferus Flammersbacensis Nassö-  
 vius, S. S. Theologiæ studioſus.



*Aliud ad eundem.*

JODOCUS BEUMGENNIUS  
 Mandersbacensis Nassövicus.

per ἀνάγκηματα.

Or' age vince:

*Sic nosces musas: nomen das nubibus udis.*

EXPLICATIO.

E X P L I C A T I O.

**L**atius haud decuit nostri referre palati  
 Ostia; nec decuit tibi dicere plura Jodoce.  
 Ore age vince ergo confusus, & obice scuti  
 Adversas acies perrumpito, frangito technas.  
 Fulmina vibratis oppone minantia telis.  
 Nec patitor dextrum turbet cornive finistrum  
 Hostis, sed contra trepidos fidentior esto:  
 Nec turbet feriens utring, dilemma bicorne  
 Pectora, nec Darii fortis te rerreat, immò  
 Si sic fata velint, opponito forte Camestres,  
 Agmina nodosi Ferio confringe, resolve  
 Cæsare; Sic nosces Musas, Heliconis & arva  
 Sic nosces, quondam sic cinget tempora Daphnis.  
 Quare age Beumgeni, quò ducit alacriter ito  
 Trames, (crede mihi) Nomen das nubibus udis.  
 Fama & ad antipodas veniet gelidosq; triones:  
 Hesperius fies, fies & notus Eois.

*Aliud ejusdem.*

LOGOGRAPHUS EX NOMINE

JODOCI ELABORATUS.

<b>U</b> ltima cum media tollatur syllaba, signat	J
Gaudia: si findas, sphaeraq; trabsq; manet.	O
Affirmat, numerat, fulcit, trabs longa: rotunda	I
Sphaera negat, lucet, sepeq; mira refert.	O
Adde pedes fronti: cum fratre Cupidine junctus	J
Est Veneris soboles, & comitatur eam.	O
Tolle trabem, seivum Neptuni appone tridentem	M
Sphaeram & dimidiam tollito; magna vides.	O
Frontem demit, pedi mediam praepone crucemq;	D
Disputat egregie, notus is estq; Deus.	O

Apposuit L. M. Q.

Johannes Godefridus Pampo-La-  
 nomontanus Nassovicus.

F I N I S.



*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint text visible on the right edge of the page, possibly from the adjacent page.]*

*L* Atia  
*O*stia  
*O*re ag  
*A*dver  
*F*ulm  
*N*ec pat  
*H*ostis  
*N*ec tur  
*P*ectora  
*S*i sic fa  
*A*gmina  
*C*æsare  
*S*ic nosc  
*Q*uare a  
*T*rames  
*F*ama &  
*H*esperiu

LOGO  
*J*  
*U*ltim  
*G*  
*A*ffirmat  
*S*phæ  
*A*dde pec  
*E*st V  
*T*olle tra  
*S*phæ  
*F*rontem  
*D*upu

180  
170  
160  
150  
140  
130  
120  
110  
100  
90  
80  
70  
60  
50  
40  
30  
20  
10  
0  
-10  
-20  
-30  
-40  
-50  
-60  
-70  
-80  
-90  
-100  
-110  
-120  
-130  
-140  
-150  
-160  
-170  
-180  
 inch  
mm  
 C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
 4.5 5.0 5.6 6.3  
 the scale towards document  
 Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 490  
 Patch Reference numbers on ITT

6  
 O  
 I  
 O CUS  
 O DUS  
 O C TUS  
 ampo-La-  
 vicus.